...idbeck u. Brandis
...ctius praefect.
Biblioth Lindensis
1805.

SERIES PRÆFECTORUM BIBLIOTHECÆ LUNDENSIS,

Quam,

Consent. Ampl. Ord. Philos.

PRÆSIDE

ANDR. LIDBECK,

Acad. Carol. Biblioth. et Æsthetices Prof. R. & O.

pro GRADU

offert

NICOLAUS DAN. EZANDER,

Smolandus.

Die IV Junii MDCCCV.

LUNDÆ,

LITTERIS BERLINGIANIS.

BRITISH MUSEUM
NATURAL HISTORY

IN REGEM

MAGNÆ FIDEI VIRO,

GENEROSISSIMO ET REVERENDISSIMO

LUDOVICO MÖRNER,

LIBERO BARONI,

S. S. THEOLOGIÆ DOCTORI,

DIOECESEOS WEXIONENSIS EPISCOPO,

SACRI SYNEDRII PRÆSIDI,

REGII ORDINIS DE STELLA POLARI MEMBRO,

MÆCENATI SUMMO.

Cum ea sit Tua erga litteras benevolentia, ut, quemadmodum vivos earum cultores beneficiis cumulare, ita de mortuis audire maxime cupias, atque cum meum officium esse duxerim, diligentiam meam & in studiis qualescunque profectus in primis Ei probare, cujus ex arbitrio spes mea & salus pendet, leviſſimas has pagellas Tibi potiſſimum consecrare volui, debui permansurus

EMINENTISSIMI NOMINIS TUI

Cultor devotiſſimus

NIC. DAN. EZANDER.

A. 1668 & 1669 ſive primis poſt inauguratam Academiam annis, licet nulla omnino librorum collectio adeſſet, negotia tamen, quæ Bibliothecario Conſtitutiones Academicæ injungunt, adminiſtranda ſuſcepit Chriſtophorus Roſtius, Archiater & Medicinæ Practicæ Profeſſor primarius. Sed a. 1671 ex toto abrogatum eſt Capitulum Lundenſe; librique ejus, numero circiter 370, Academiæ ceſſerunt. Ab iſto tempore, quo Bibliothecæ Lundenſis jacta ſunt prima fundamenta, usque ad a. 1676, cum propter exortum cum Danis bellum ſtudia academica intermiſſa ſunt & librorum collectio Malmogiam translata, partes Bibliothecarii ſuſtinuit Ericus Elfwedalius, Hiſtoriarum & Philoſophiæ Practicæ Profeſſor. Lyceo autem noſtro a. 1682 reſtaurato, Andreas Stobæus Eloquentiæ & Poëſeos Profeſſor curam Bibliothecæ excepit, quæ a. 1683 decreto regio demandata eſt Laurentio Norrmanno nuper conſtituto Linguarum Orientalium & Græcæ Profeſſori, cui etiam commiſſum, ut quam Rex academiæ clementiſſime promiſerit, Bibliothecam Gripenhjelmianam huc ſe-

secum transveheret. Cum vero paullo post professionem Lundensem cum Upsalienſi Norrmannus commutaret, jussa peragere ei non licuit.

Anno denique 1684 ab Illustrissimo Cancellario institutum est Bibliothecarii munus atque Zachariæ Hulth traditum, quod paucis post annis regia sanctum auctoritate multas deinde vices & mutationes habuit, de quibus in primis videndæ erunt Litteræ Regiæ d. 16 Nov. 1689, d. 17 Jun. 1698, d. 17 Aug. 1736, d. 28 Jul. 1737, d. 14 Aug. 1740, d. 24 Apr. 1745, d. 3 Febr. 1748, d. 5 Maji 1777, d. 10 Mart. 1786, d. 12 Nov. 1795, d. 11 Maji 1801.

Sed cum statuimus seriem Præfectorum Bibliothecæ nostræ exhibere, jure videmur a laudato Hulth initium facere, quod & primus fuit, cui præfectura Bibliothecæ tamquam peculiare munus delata est, nec quæ ante eum Academiæ erat supellex libraria, Bibliothecæ nomine digna est censenda.

Quodsi quis argumentum, quod sumsimus, ut tenue ac jejunum reprehenderit, satis erit respondere, nos quidem nihil, quod ad illustrandam Academiæ Carolinæ historiam faciat, leve nimis aut tenue judicare.

ZACHARIAS HULTH, nobilit. LILLJENSTRÅHLE, *Bibliothecarius ab A.* 1684 *ad A.* 1696.

Natus patre Johanne Hulth, Judice Territoriorum Australis & Septentrionalis Wedbo, nec

non

non Wiſta Smolandiæ, a. 1681 Roſtochii civitate academica donatus eſt. Confecta perigrinatione, in qua plures Germaniæ Academias videre ipſi licuit, a. 1683 Lundæ albo Studioſorum nomen dedit. Anno proxime ſequente ab Ill. Cancellario Claudio Flemming, ſuaſu Conſiſtorii, qui in Cancellarii litteris Candidatus appellatur, primus conſtitutus eſt Academiæ Bibliothecarius, itemque Philoſophiæ Adjunctus; anno autem 1689 Extraordinarius Philoſophiæ Profeſſor. Pater ejus a. 1693 ad equeſtrem locum evectus eſt, nomine Lilljenſtrahl, ſi clariſſimo Stjernman fides habenda a); noſtrum vero ſe Lilljenſtråhle dixiſſe, epiſtolæ autographæ, quas ad manum habemus, ſatis teſtantur. Obiit a. 1696, non vero, ut von Dŏbeln habet, a. 1695 b).

BON-

a) v. Stjernmans Matrikel öfver Svea Rikes Ridderſkap och Adel. P. 2. p. 927.

b) Quæ de eo cel. Joh. Jac. von Dŏbeln adfert in Hiſt. Acad. Lund. P. 3. p. 144 perpauca ſunt, nec vera ubique; id quod, cum vita ejus a nemine ſit expoſita, mirum non videtur. Ex litteris, quas conſulere nobis licuit, eum conſtat d. 13 Sept. a. 1684 pro ſummis in philoſophia honoribus publice diſputaſſe, atque jam a. 1693, quo domus ejus funeſto permultis incendio deleta fuit, uxorem habuiſſe Saram Tolſten. — Scripta illius ſunt diſſertationes tres, de quibus vide Catalogi Diſputat. a Joh. Henr. Lidén editi Sect. 2. pag. 65.

BONDE HUMERUS, *Bibliothecarius ab A. 1696 ad A. 1703.*

Natus a. 1659 in pago Lekaryd Territorii Alboenſis Smolandiæ, patre Johanne Humero, parocho, matre Gunilla Bondii filia, a. 1680 civitatem in Academia Upſalienſi impetravit, ubi ſtudio phyſico-mathematico in primis deditus Præſide A. Spole publice diſputavit. A. 1690 in Germaniam profectus ſummos philoſophiæ honores Jenæ a. 1691 capeſſivit; atque, cum plurimas hujus imperii regiones & clariſſimas academias luſtraſſet, Holmiam a. 1693 rediit. Paucis vero poſt menſibus Germaniam iterum petens, anno denique 1695 patriæ eſt redditus. Eodem anno Academiæ Lundenſis convictorio, anno autem inſequenti regio diplomate Bibliothecæ etiam præfectus eſt. A. 1698 Profeſſoris extra ordinem titulo ornatus, a. 1703 provinciam Profeſſoris Mathematum, annoque 1712 Linguarum orientalium accepit. Secundus vero Theologiæ Profeſſor a. 1716, & duobus dehinc annis Theologiæ Profeſſor primarius & Archipræpoſitus conſtitutus. A. 1699 uxorem duxit Annam Steuch, filiam Epiſcopi & Procancellarii Matthiæ Steuch, quod ſine prole conjugium fuit. Ab iis inſtitutum eſt Stipendium, quod Humero-Steuchianum etiam nunc dicitur. Obiit 1727 c).

JOAN-

c) De eo vide v. Döbeln l. c. p. 96. Gezelii Biographiſka Lexicon, P. 1 p. 445. — Diſſertationes XVII præſes edidit, quarum mentionem facit v.

JOANNES STEUCH, *Bibliothecarius ab A.* 1703 *ad A.* 1707.

Natus Hernoſandiæ a. 1676 patre Matthia Steuch, Theologiæ Lectore, poſtea Archiepiſcopo & Procancellario, matre Anna Terſera, filia Epiſcopi Lincopenſis Joannis Elavi Terſeri, a. 1690 in Studioſorum numerum Upſaliæ adſcriptus eſt, ubi per quinquennium litteris operam dedit. Patre Epiſcopo Lundenſi facto, a. 1695 civitatem Academicam Lundæ impetravit. Proximo autem anno Upſaliam rediit ſpecimina editurus, quæ a futuro philoſophiæ doctore exiguntur; quibus abſolutis, a. 1698 iter inſtruxit per Germaniam, Galliam, Angliam, Belgium & Daniam tres annos duraturum. Abſens vero a. 1700 philoſophiæ Doctor Upſaliæ creatus eſt. A. 1703 Profeſſor Extraordinarius & Bibliothecarius eodemque anno inſimul Præpoſitus convictorio, & a. 1707 Logices & Metaphyſices Profeſſor in noſtra Academia factus eſt. Sed a. 1710 munus Profeſſoris Moralium cum Logices profeſſione mox commutatum Upſaliæ

Döbeln l. c. p. 99, 105, 106, qui vero recte ei non tribuit disputationes de Cauſſa prima, & de ira. Alia ejus ſcripta non exſtant præter B. Humeri Profeſſ. Theol. Oracula Critico-Hiſtorica de conjugio conſobrinorum ex lingua Svecana in latinam translata a M. Guſtavo Lund Wexionenſi. Ex officina Schneideriana. 8:o. Sed ſine loco & anno impreſſionis libellus eſt; dedicationi autem hæc ſubſcripta: Holmiæ ipſis nonis Decembr. 1737.

liæ ſuſcepit, a. 1719 dignitate S. S. Theologiæ Doctoris, atque præbendis parœciæ Nås donatus; annoque 1723 Wermelandiæ Superintendens, a. 1730 Epiſcopus Lincopenſis, eodem autem anno Archiepiſcopus, patri ſucceſſurus, conſtitutus — A. 1705 uxorem duxit Eliſabetham Spegel, filiam Epiſcopi Haquini Spegel, qua demortua ad ſecunda vota a. 1724 tranſiit cum Ulrica Eleonora Franc, filia Petri Franc, Provinciæ Sudermanniæ olim Gubernatoris. Obiit 1742 d).

ANDREAS STOBÆUS, *Bibliothecarius ab A.* 1708 *ad A.* 1714.

Natus a. 1641 patre Johanne Laurentii, Paſtore Eccleſiarum Stoby & Sandby in Scaniæ territorio Gothungico occidentali, ex natali loco Stobæus appellatus, circiter octennis ad Scholam Hafnienſem miſſus eſt; in eaque poſtquam octo annos, totidemque menſes in Schola Chriſtiadenſi commoratus fuerat, ad Academiam Gryphicam ſe contulit, ubi per annuum ſpatium litteras coluit. Patriæ redditus privatim inſtituendo vitam ſuſtentavit, ſed triennio exacto Collega Scholæ Chriſtiandenſis & poſt quinquennium Rector ejusdem deſignatus eſt; cui muneri præfuit, cum a. 1670 ſum-

d) Vide auctores citatos in Gezelii Lexico Biographico, nec non orationem parentalem ab Erico Melander habitam. — Diſſertationes ſuper centum, ac duas conciones funebres in lucem emiſit.

ſummos philoſophiæ honores Lundæ capeſſeret e). Holmiam profectus Senatori Regio Comiti Gabrieli de la Gardie adeo placuit ut, eo commendante, a. 1674 Poëſeos Profeſſor extraordinarius factus ſit, annoque 1682 Eloquentiæ & Poëſeos Profeſſor ordinarius. Anno autem 1687 eloquentiam profitendi jure in Jonam Hörling translato, una cum Poëſi Hiſtoriam docendam noſter ſuſcepit; cui ſpartæ a. 1708 præfectura Bibliothecæ adjuncta eſt, ſingulari Regis Gratia, cum pro utroque munere ſalarium eidem ſit conceſſum. Bis maritus fuit. Uxorem primam habuit Urſulam Mariam Wode, ſecundam Geſcham Hörling. Vita exceſſit a. 1714 f).

Filius ejus Nicolaus Stobæus, tandem Eloquentiæ & Poëſeos Profeſſor, ab anno 1714, quo Amanuenſis Bibliothecæ deſignatus eſt, ad A. 1716, munere Bibliothecarii vacante, apparatus noſtri librarii curam ſuſtinuit.

e) Diſſertationem gradualem de longitudine locorum per horologia &c. inveſtiganda, Præſ. A. Spole a. 1669 edidit; non autem a. 1679, id quod legitur apud Cl. Lidén errore quodam typographico deceptum.

f) V. v. Döbeln l. c. p. 256. Gezelii Lexic. P. 5. p. 188. — Diſſertationes academicas XXII, & innumera ſcripta panegyrica, programmata, & carmina edidit.

PETRUS OLAI AURIVILLIUS, *Bibliothecarius ab A.* 1716 *ad A.* 1728.

Natus a. 1677 patre Olao Aurivillio, Logices & Physices Lectori Gevalienſi & Paſtore Elfkarlebyenſi, matre Anna Blix, a. 1695 in Studioſorum numerum Upſaliæ receptus, ſolitis abſolutis ſpeciminibus, ibidem ſummos philoſophiæ honores a. 1707 obtinuit. A. 1709 delectus, qui ſtudiis Comitis Caroli Adolphi Gyllenſtjerna præeſſet, a. 1716 Academiæ Carolinæ Bibliothecarius deſignatus eſt, atque altero anno poſt nomine Profeſſoris Extraordinarii ornatus. A. 1728, cum ſpem haberet melioris conditionis, erat enim Acad. Cancellario in mente, Præbendis Eccleſiarum Steſvie & Lackalånge eum donare, morte eſt ereptus. Inde ab a. 1717 vitæ ſociam habuit Mariam Eliſabetham Radhe, nobil. Palmcrona. — Diſſertationes duas, ſcilicet Deſcriptionis Templi Hieroſolymitani P. 1 & 2, neque alia ſua ſcripta publici juris fecit g).

NICOLAUS LAGERLÖF, *Bibliothecarius ab A.* 1729 *ad A.* 1732.

Natus a. 1688 in parœcia Arfwika Wermelandiæ, patre Præpoſito & Paſtore Mag. Daniele Lagerlöf, matre Magdalena Hoffſten, a. 1708 in Studioſorum numerum Lundæ adſcriptus eſt, ubi vitæ

g) V. v. Döbeln l. c. p. 7. Guſt. Sommelii Lexici Eruditorum Scanenſium Vol. 1. pag. 103.

vitæ ſtudiorumque moderatorem haberet patruum Erlandum Lagerlöf, Eloquentiæ Profeſſorem. A. 1719 docendi venia ac honoribus magiſterii ornatus, a. 1723 Facultati Philoſophicæ Adjunctus, annoque 1729 Academiæ Bibliothecarius & Profeſſor Extraordinarius, a. autem 1732 Philoſophiæ Theoreticæ Profeſſor deſignatus eſt auctusque a. 1735 Præbendis Eccleſ. Stefvie & Lackalånge, ſacrisque initiatus. Anno proxime ſequente, quamvis nondum in ordinem Theologorum cooptatus eſſet, Adſeſſor Conſiſtorii Eccleſiaſtici regio diplomate, a. 1739 tertius in Facultate Theologica Profeſſor, a. 1741 ſecundus, ſed eodem anno Wermelandiæ Superintendens, atque anno altero poſt S. S. Theologiæ Doctor factus. Ab hoc anno usque ad mortem comitiis regni, duo ultima ſi excipimus, interfuit, cujus in meritorum præmium Stirps a. 1756 ad equeſtrem locum evecta. A. 1729 matrimonio ſecum conjunxit conſobrinam Annam Catharinam Lagerlöf, filiam Profeſſoris Erlandi Lagerlöf; qua mortua uxorem a. 1745 duxit Mariam Camitz, antea nuptam Theologiæ Adjuncto Upſalienſi G. Åman. Fato conceſſit a. 1769 h).

NICOLAUS von OELREICH, *Bibliothecarius ab A.* 1732 *ad A.* 1739.

Natus eſt a. 1699 in pago Örſjö territorii Wemmenhögenſis Scaniæ, patre Nicolao Oelreich

 ad

h) Diſſertationes LXV, atque conciones nonnullas in publicum emiſit. De eo vide V. Döbeln l. c.

ad auſtralem Scaniæ Legionem judice militari, matre Cicilia Wandalin, Bernhardi Oelreich primi Academiæ Carolinæ Procancellarii ex nepote filius. A. 1716 ſumma preſſus paupertate civibus academicis adnumerari cœpit, atque a. 1727, qui ſuperiore anno Philoſophiæ Magiſter creatus erat, docendi veniam impetravit. Holmiam migravit a. 1730, ſtudia moderaturus Comitum Axelii Ferſen, poſtea Regni Senatoris, fratrisque Caroli Ferſen, deinde venationis principalis Magiſtri ſupremi; duobus dehinc annis Academiæ Bibliothecarius & Profeſſor Extraordinarius conſtitutus; anno autem 1737 ſimul Profeſſor Hiſtoriæ Litterariæ ordinarius, eo quidem pacto, ut, abeunte Profeſſore aliquo Facultatis Philoſophicæ, idem, quod collegæ, ferret laborum præmium i). Sed a. 1739 factus eſt Philoſophiæ Theoretices Profeſſor, novumque Hiſtoriam Litterariam profitendi munus paullo poſt ſublatum. — Eodem anno peregre abierat; an-

p. 133; concionem funebrem a. 1770 habitam a Jona Ullholm, Theol. Lectore Caroliſtadienſi; & albi Ord. Equ. a Joh. Ad. Rehbinder editi pag. 333.

i) Cum Oelreich, quo tempore Bibliothecarius fuit, ab academia plerumque abeſſet, curam Bibliothecæ ab a. 1732 ad d. 1 Maji a. 1733 habuit Johannes Engeſtröm, L. L. O. O. & Græcæ tunc Profeſſor, tandem Epiſcopus; deinde vero Laurentius Laurel, denique Phil. Theor. Profeſſor, cui primo delatum eſt munus Præfecti Bibliothecæ vicarii, anno 1737 a Sacra Regia Majeſtate inſtitutum.

annoque 1744 domum reverſus, Cenſor librorum deſignatus eſt a. 1746, atque hic ultimus provinciam Cenſoris, in perpetuum a. 1766 abrogatam, ſuſtinuit. A. 1747 nomine Cancellariæ Conſiliarii, a. 1749 equeſtri dignitate, annoque 1766 titulo Aulæ Cancellarii ornatus, a. denique 1767, qui collegio Commercii Regni præſideret, conſtitutus. — Tori ſociam inde ab a. 1751 habuit Annam Palbitzki, Baronis natam. — Obiit a. 1770 k).

JONAS WÅHLIN, *Bibliothecarius ab A.* 1740 *ad A.* 1744.

Natus a. 1699 patre Andrea Wåhlin Eccleſiarum Eneby & Kijſa in Oſtrogothia tunc temporis Comminiſtro, deinde Stenbyenſium Paſtore, matre Ingeburgi Belnera, a. 1718 Upſaliæ, a. 1722 Lundæ civis academicus factus, ubi a. 1730 laurea philoſophica decoratus, docendi veniam in Facultate philoſophica a. 1731 aſſequebatur, in ordinem ſacrum eodem anno inauguratus. A. 1732 Facultati Philoſophicæ, atque anno inſequenti Theo-

lo-

k) Diſſertationes XVI edidit atque hæc ſcripta anonyma: En årlig Svenſk, St. 1755. 4:o; Th. Gordons Betragtelſer öfver Salluſtius, öfverſ. St. 1763, 4:o; En Gammal Mans Inſtruction för ſin ſon, då han förſta gången biviſtade Riksdagen. St. 1765, 4:o. — Vitam ejus enarrarunt v. Döbeln l. c. p. 184, Gezelius l. c. P. 2. p. 214., Rehbinder l. c. p. 198.

logicæ Adjunctus est. Academiæ Secretarii munus a. 1735, & quinquennio exacto præfecturam Bibliothecæ suscepit. Ad tertiam autem Theologiæ professionem a. 1741, ad secundam a. 1750, atque tandem a. 1763 ad primariam, eique conjunctam Archipræposituram promotus est, qui jam a. 1746 dignitate S. S. Theologiæ Doctoris insignitus erat. Comitiis regnis a. 1765, 1769, & 1771 interfuit, idemque ter ad dignitatem episcopalem vocatus a. 1747 a clero Scanico, 1761 ab Ostrogothico, & 1770 a Wermelandico. — A. 1738 matrimonio sibi junxerat Martham Mariam Wasman, filiam Erici Wasman Decurionis & Mercatoris urbis Landscrona. — Vita exiit a. 1777 1).

JOHANNES CORYLANDER, *Bibliothecarius ab A.* 1745 *ad A.* 1766.

Natus a. 1707 patre Nicolao Corylander, Præposito & Pastore in Styrestad Ostrogothiæ, a. 1721 in Studiosorum numerum Lundæ relatus, summos phi-

1) Scripta ejus publici juris facta Dissertationes sunt XXII, programmata aliquot, oratio dicta in memoriam Professoris Arvidi Moller, & nonnullæ in conventibus publicis pronuntiatæ sententiæ. — De eo vide concionem funebrem a Svenone H. Munthe, S. S. Theol. Doct., Præpos. & Past. Malmog., atque orationem parentalem a Johanne Nelander habitam.

philoſophiæ honores a. 1730 aſſecutus eſt. A. 1734 Facultatis philoſophicæ Docens, deinde poſtero anno Adjunctus, & denique a. 1745 Academiæ Carolinæ Bibliothecarius factus. A. 1751 ſacris initiatus, & in ſolennibus inaugurationis regiæ nominatus, Upſaliæ anno proximo creatus eſt S. S. Theologiæ Doctor. Jubente Ill. Cancellario, publicis prælectionibus Hiſtoriam Litterariam a. 1753 m) docere cœpit; annoque 1756 beneficium accepit 600 Thalerorum monet. argent., quo ordines Regni Centurionem Guſtavum Lithou ut optimum Poëtam latinum ornaverant. A. 1766 Paſtor Eccleſiarum Jemshög & Nåſum in diœceſi Lundenſi, & a. 1767 Præpoſitus deſignatus, a. 1775 de vita exiit n).

GU.

m) Ab hoc anno usque ad a. 1799 Hiſtoriam Litterariam, deinde vero Aeſthetices & Litterarum Elegantiorum præcepta publice prælegendo Academiæ Bibliothecarius tradidit ex decreto regio d. 12 Nov. 1795. Cfr. Litt. Reg. d. 11 Maji 1801, quibus præfecturæ Bibliothecæ officium Aeſthetices Profeſſoris ordinarii clementiſſime eſt additum.

n) Diſſertationes academicas XII, orationes tres, carmina permulta latina, ac tractatum edidit Mercurio Svecano anni 1764 inſertum, qui inſcribitur: Anmärkningar vid Kongl. Danſka Amiralen Pet. Tordenſkölds Lefverne. — V. Lex. Erud. Scanenſ. Vol. 2. p. 106.

GUSTAVUS SOMMELIUS, *Bibliothecarius ab A.* 1767 *ad A.* 1799.

Natus Malmogiæ a. 1726, patre hujus urbis Decurione Johanne Sommelius, matre Anna Eliſabetha Hoffinghoff, a. 1742 e ſchola malmogienſi ad academiam dimiſſus, ab Epiſcopo & Procancellario Johanne Engeſtröm a. 1746 electus eſt, qui ſtudiis filiorum ejus majorum natu præeſſet. Gryphiswaldiæ a. 1748 Philoſophiæ Magiſter renuntiatus, Linguas orientales & Græcam in academia noſtra docendi veniam a. 1749 obtinebat; a. 1751 Collega Scholæ Lundenſis, annoque 1756 Rector ejusdem factus, quo etiam anno pari, atque Academiæ Adjuncti, munera petendi jure donatus o). A. 1763 nomine & honore Profeſſoris decoratus, & a. 1767 Academiæ Carolinæ Bibliothecarius conſtitutus eſt, cui tandem fortuna arriſit, cum a. 1777 Regia ſancitum eſt auctoritate, ut Academiæ Bibliothecarius æquiore conditione poſthac uteretur, nec minorem, quam ceteri Profeſſores, reportaret laborum mercedem. Anno denique 1799 muneris publici vacationem vir laudatus petiit & impetravit. — In matrimonium a. 1768 ducebat, ſuperſtitem ſibi conjugem, Dorotheam Held, filiam def. Centurionis Reinholdi Held. — A. 1800 e vita diſceſſit p).

o) V. Skånſka Clericiets Hiſtoria. P. 3. p. 152.

p) Vir fuit perfecta eruditione & ſumma diligentia præclarus, cujus memoriam in noſtra quidem acade-

demia nullus umquam dies delebit. — Dissertationes CCCCX edidit, itemque hos libros: 1) Försök till en Grækisk Grammatica på Svenska, 1759. 8:o. 2) Skånska Clericiets Historia III D. 1. St. 1763. 8:o. 3) Imitationer att bruka till de Ciceronis Epistlar, hvilka Melch. Junius utdragit under namn af Selectar. Epistolarum ex M. T. Ciceronis Famil. & aliis Volumina Tria, 1772. 8:o. 4) Academiska och Stifts Tidningar utgifne i Lund för år 1773. 8:o. — Scripta vero complura inedita reliquit, quorum adnotatu digniſſima ſunt: 1) Anmärkningar vid Sam. Rogbergs Historiska Beskrifning om Småland; 2) Anmärkningar vid N. Aurelii Strengnäs Stifts Herdaminne; 3) Collectanea ad Lexicon Eruditorum Scanenſium pertinentia; 5) Catalogi Svecorum Dissertationum, & Orationum.

Bjorck a Borgstrom

BRIT. MUS.
24 NOV 24
NAT. HIST.